



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs VI. De vnitate causæ in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

autem intuitu huius actus tenetur concurrere cum specie impressa eius secreti in Angelo auctante præsupposita ad cognitionem, qua de eiusmodi secreto certior fiat; secluso vero eo voluntatis actu Deus eiusmodi concursus præstare non tenetur, sed potius cohibere: id enim consentaneum, ac debitum est commercio, quod Angeli, velut creaturæ rationales postulant. Quare Angelus Angelum à se distantem alloquens nihil in eo efficit: cur ergo per medium operari debeat?

15. In calce huius tractatus, & capitis sciscitabitur fortasse aliquis: an approximatio agentis respectu passi, omnium consensu, ad operandum requisita, requiratur tanquam conditio prævia ad effectum, & non solum concomitans? Pater Arriaga disput. 7. Physicor. sect. 6. partem negantem manifestam arbitratur: quia cum vnum corpus mouet aliud, approximatio localis vtriusque in eorum vbitatibus sita est effectus motus; ergo non est conditio ad motum prævia: cur ergo ad alias operationes conditio prævia esse debeat? Verum opposita, & communis sententia mihi magis probatur: quia approximatio intentionalis, siue representatio obiecti non concomitanter, sed præui ad agendum intentionaliter, siue amandum requisita est: ergo approximatio physica non concomitanter, sed præui ad agendum physice requisita erit. Secundo: quia ideo ignis calefacit lignum, quia ei posituè approximatur, non verò è conuerso: ergo approximatio est conditio ad calefactionem præui, & antecedenter requisita: hæc enim irreciproca causalis inter res realiter distinctas, naturalis antecessoris certissima index est: & quidem alias omnes conditiones ad agendum præui de medio tolli poterunt. Quod autem in contrarium Arriaga adducit, momenti non est: sicut enim licet iuxta ipsum naturam ad reliquos effectus producendos subsistentia, velut conditionem præui indigeat; ad producendam tamen ipsam subsistentiam ea velut conditione prævia ad se ipsam non eget: ita similiter quamuis vnum corpus ad mouendum aliud, illudque sibi approximandum approximatione locali, velut conditione prævia non eget: inde tamen minime colligi poterit, eam ad reliquos effectus conditionem præuiam non esse.



TRACTATUS VI.

De unitate causæ in communi.

CAPVT PRIMVM.

An causa totalis respectu effectus eiusdem vna tantum esse debeat?

1.



E causa partiali proculdubio est, eam respectu vnius effectus non vnam tantum, sed multiplicem tam in eodem, quam in diuerso genere esse: deinde duas causas materiales totales respectu vnius formæ naturaliter repugnare exploratum est: alias eadem forma in duobus ho-

minibus, aut equis esse, & eorum materias informare posset. Rursus duas formas, siue duas causas formales adæquatas in eodem subiecto esse, si formæ substantiales sint, naturaliter repugnat, vt lib. 2. edocuius: secus verò si accidentariæ sint, cum eadem anima verbi gratia intellectionem, & volitionem actus, & habitus vocationem, & durationem suscipiat. Quare an respectu vnius effectus vna tantum causa totalis esse debeat: siue, vt alij loquuntur, an ad eundem effectum due causæ totales concurrere possint in sola causa efficienti, & finali locum habere potest: in quibus etiam animaduertendum est, sermonem non esse de causis totalibus in actu primo, siue de causis de se sufficientibus ad hoc, vt alterutra se sola effectum produceret: sic enim compertum est, duas eiusdem effectus causas totales, imò infinitas syncategorematicè esse posse: vnde solum questio est de causis totalibus in actu secundo: quarum videlicet quævis actione totali, & se sola ad effectum sufficienti gaudeat. Quo constituto:

2. Affero primò, causam efficientem totalem de potentia Dei absoluta respectu vnius effectus vnam tantum esse non debere, sed plures esse posse: ita cum P. Valentia tom. 4. disp. 1. quest. 3. punct. 3. & Patre Suarez 1. Metaphys. disp. 26. sect. 4. num. 14. plerique DD. nostræ Societatis. Probatur primò: quia effectus supernaturaliter prodire potest à causa efficienti, à qua naturaliter produci nequit; gratia verbi gratia ab aqua, vt inferius ostendam: ergo quamuis naturaliter produci nequeat effectus à duplici causa totali, tamen ab ea supernaturaliter produci poterit. Secundo quia eadem numero forma in duabus materiis adæquatè distinctis suscipi, ab iisque in genere causæ materialis totaliter causari diuinitus potest, esto naturaliter nequeat: haud secus ac, quod non minus est, forma ab omni causa materiali diuinitus absolui potest: ergo similiter idem effectus à duplici causa totali diuinitus produci potest, tametsi naturaliter nequeat. Tertio: vnicum corpus à duplici vocatione totali diuinitus à posteriori dependere potest, vt ex mysterio Eucharistiæ constat: ergo similiter idem effectus à duplici causa totali diuinitus à priori dependere potest.

3. Affero secundò: causam efficiens totalis naturaliter & de potentia ordinaria respectu vnius effectus vna tantum, & non multiplex esse debet. Hæc conclusio, quæ teste Suarez vbi supra omnium fermè Philosophorum est, in hunc modum probatur: quia sicut natura necessaria prouidet, ita superflua abhorret: at vna causa totalis respectu vnius effectus sufficit, & due superfluant: igitur due à natura abhorrent, siue naturaliter repugnant. Huic argumento respondent nonnulli: primò duas causas totales in actu secundo: siue, quod perinde est, duarum causarum duas actiones totales non esse superfluas: quia necessariae sunt ad hoc, vt vtrique causa virtutem suam ostentet, quam certè neutra tantundem ostentaret, si effectum inadæquatè solum produceret. Secundo alij respondent, eas actiones totales superfluas non esse: quia ad perfectionem vtriusque causæ necessariae sunt: siquidem vtrique causa minus perficeretur per actionem, si inadæquatè tantum ageret, quam si adæquatè, & totaliter ageret, ex his solutionibus prior actionem esse

esse extrinsecam agentis, posterior esse intrinsecam supponit. Tertio alij ab utroque præcindunt, & respondent, eas actiones totales superfluas non esse: quia quavis earum necessaria est, ut per eunte altera effectus non pereat, sed in rerum natura consistat.

4. Verum hæc omnes solutiones eodem argumenti genere everti possunt: siquidem eadem ratione dici posset, eandem causam duplici actione totali in eundem effectum concurrere posse: quod etiam aduersarij negant, & de se manifestè absurdum est: alias eadem causa ad eundem effectum concurrere posset triplici actione totali, quadruplici, sextuplici, & sic ulterius; donec agentis tota actiuitas exhauriretur: cur enim ubi in una actione totali status non sit, in uno potius, quam in alio actio actionum totalium numero listi oporteat? Sequela verò ad homines perspicua est: etenim duarum actionum totalium ab eadem causa versus eundem effectum prodeuntium quavis necessaria esset, vel ad maiorem ostentationem virtutis effectricis; vel ad maiorem eius perfectionem intrinsecam, vel ad hoc, ut per eunte una actione effectus per alium existeret: unde neutra earum superflua esset. Eodem argumento probari posset contra aduersarios, idem corpus, ubi ad locum mouetur, per duplicem vocationem totalem in eo naturaliter constitui posse: & eandem materiam per duplicem causalitatem materialem totalem formam naturaliter sustentare posse: aliaque id genus exempla afferri possent, quibus quidem adducta solutio infringi, & assertio nostra principaliter probari posset.

5. Secundò eæ solutiones impugnantur: quia ut aliquid non sit absolutè superfluum, neque natura illud rescare contendat, satis non est, ut ad aliquid necessarium sit: sic enim nihil absolutè superfluum, aut naturæ repugnans esset: cum nihil sit, aut esse possit, quod ad aliquid necessarium non sit: nimirum ad complendum numerum entium vniuersi, qui certè sine eo idem non esset: vel ad producendos suos effectus, si quos obtinet: vel ad existendum à suis causis, aliæque similia: quare illud absolutè superfluum, & naturæ repugnans, quod ad finem præcipuum, ad quem à natura destinatur, superfluum est: at si duæ causæ per actiones totales in eundem effectum concurrant, quavis earum actionum superflua erit in ordine ad præcipuum finem, ad quem à natura destinatur: igitur absolutè superflua erit; eaque, quam natura rescare contendat, quantumlibet necessaria sit ad perfectionem intrinsecam, aut extrinsecam agentis, aut ad supplendam alteram, si deficiat.

6. Minor huius discursus, in qua tora difficultas est, suadetur: quia finis præcipuus actionis est tribuere esse effectui: & quamvis per eam causa virtutem suam perficiat, aut ostendet: hæc tamen perfectio, & ostentatio suæ virtutis propter effectum est, & adtribuendum ei esse præcipuè destinatur: nec inter aduersarios vllum comperio, qui præcipuum actionis finem inficiatur, aut auficiat in ordine ad hunc finem duæ actiones totales superflue sunt: cum duæ partiales adtribuendum effectui sufficiant.

7. Quarto, & verosimiliter alij respondent, naturam per se quidem à superfluo abhorre, neque vnquam ad eius perfectionem causas aliquas destinare: ceterum eam per accidens superfluum

permittere, videlicet si causæ aliquæ ad eius productionem sufficientes per accidens coeant: quæ ratione monstra, in quibus plura redundant, & superfluant, homo v. g. triceps, qualem fuisse Geryonem antiquitas aut perhibuit, aut fabulata est, præter naturam, non tamen contra eam sunt: videlicet quia ad eorum productionem causæ naturales per accidens applicantur: igitur si per accidens duæ causæ eidem passo sufficienter applicentur ad hoc, ut quavis absente altera effectum adæquate produceret: non erit, cur ambæ simul per duas actiones totales naturaliter effectum non producant, quantumvis superflue sint: ea enim superfluitas à concursu per accidens plurimum causarum oritur: unde non est, cur naturæ pugnet, esto ab ea non intendatur.

8. Contra tamen: quia monstra in plures partes non necessarias superflua, & redundantia, ideo naturaliter non repugnant: quia causæ naturales ad eorum productionem sufficienter applicatæ sunt, & si ea non producerent, aliunde virtutem suam exercere, & omissionem illam compensare non possent: cum enim semen sed solam organizationem corpoream producendam virtutem habeat: sanè si ad triplicis capitis v. g. organizationem producendam virtutem applicatam habeat, eamque ad superfluum euitandum non exerceat: certè aliunde eam exercere, aut omissionem illam compensare nequibit: at si duæ causæ, duo v. g. ignes eidem passo sufficienter applicentur ad hoc, ut alteruter illud totaliter calefaciat, tamen esto alteruter in eo calorem totaliter non producat, sed potius concursum suum attemperet: adhuc versus aliam partem virtutem suam exercere, & per intensiorem, aut per extensionem compensare quod omittit, optime potest: ergo non est, cur duæ illæ causæ per duas actiones totales, & monstrosas in eundem effectum concurrant: quare cum supra plures actiones totales respectu eiusdem effectus naturalis repugnare docuimus, eo quod superflue sint; addendum insuper est, & quia ea superfluitas ad exercendam totam virtutem causarum sufficienter applicatarum necessaria non est.

9. Assero tertio: respectu eiusdem effectus duæ causæ finales adæquate in actu secundo naturaliter repugnant: ita P. Vasquez tom. 1. in 3. p. disp. 10. cap. 6. à num. 77. & probatur: quia naturaliter saltem repugnant duæ causæ efficientes adæquate in actu secundo respectu eiusdem effectus, ut nuper probatum est: ergo & duæ finales seruata proportionem. Rursus aut est sermo de finibus extrinsecis, aut intrinsecis: si de his; eos quidem nec naturaliter; nec, quod plus est, diuinitus esse posse duos adæquatos comparatione eiusdem effectus, manifestum est: quomodo enim vnus actus voluntatis duos fines adæquatos intrinsecè, & immediatè respicere possit? eo enim ipso, quod actus ille intrinsecè, & essentialiter vtrumque finem respiciat, sine vtròque in ratione obiecti, & finis ne diuinitus esse potest: igitur vterque est finis inadæquatus, & partialis actus: haud secus, ac ex actiones effectiue, partiales censentur, sine quibus simul sumptis effectus esse nequit: sin autem sermo est de finibus extrinsecis, id est, quos actus finaliter causatus non respiciat intrinsecè, aut immediatè, sed tantum mediante anteriori actu, à quo ducat originem: ita etiam perspicuum est, quod non possint naturaliter

raliter dari duo fines adequati in actu secundo respectu vnius, eiusdemque effectus, nam v.g. cum electio aliqua materialis, & sistens intrinsecè in solo medio, oritur à duplicis finis intentione duplici: tamen si alterutra seorsum ab alia sufficeret ad dirigendam voluntatem, vt eligeret: tamen ambæ debent attemperare suum concursum in electionem: ita vt actio directiua vnius sit partialis, & non talis: actioque etiam, qua dirigit altera, consimiliter sit inadæquata, non vero adæquata, seu totalis: quemadmodum vsuuenit vt duarum causarum efficientium influu ad eundem effectum.

CAPVT II.

Argumenta contraria solvuntur.

10.

CONtra primam assertionem opponunt Thomistæ, & Scotistæ; quorum plerique contrariam sententiam tuerentur. Effectus à duplici causa totali proficiscens, ab vtraque penderet, & non penderet: quæ implicatoria sunt: penderet quidem; quia omnis effectus à sua causa à priori pendet: non penderet, quia pendere à causa, est ea indigere ad existendum: at effectus à duplici causa totali ad existendum indigere nequit: cum alterutra ad tribuendam existentiam sufficiens sit. Respondeo, dependentiam bifariam sumi posse: nimirum pro eo, quod est habere esse ab alio siue cum indigentia alterius, siue sine illa: aut pro eo, quod est indigere alio ad habendum esse: causa ergo in priori sensu à duplici causa adæquata pendet: in posteriori vero ab ea non pendet: dependentia autem, & non dependentia in alio, alioque sensu prædicata contradictoria neutriquam sunt.

11.

Secundò sic arguunt alij: effectus procedens à duplici causa totali esset duplex, & non esset duplex realiter: consequens repugnat: ergo & id vnde sequitur. Prior pars contradictionis, quæ sequi intenditur, est manifesta: nimirum effectum non fore duplicem, sed vnum: hoc enim vtrunque supponitur. Posterior pars suadetur: primo quia effectus ille haberet totum suum esse ab alterutra causa seorsim: totum autè esse ab vna seorsim, & totum esse ab alia seorsim sunt duo esse, vt vocula seorsim videtur manifeste denotare: effectus ergo foret non vnus, sed realiter duplex. Secundò, id præstarent actiones adæquate in actu secundo, quod causæ adæquate possunt præstare in actu primo: hæc autem duos producere valent effectus: illæ igitur si darentur, duas producerent re ipsæ: effectus ergo ab eis promanans duplex esset. Tertiò vt actio essentialiter ponit entitatem effectus in genere causæ, aut causalitatis efficientis: ita etiam essentialiter ponit esse actum, siue productum in genere causæ formalis: & actio adæquata nequit esse multiplex, & gemina: quin esse actus, & productus sit multiplex: siue, quod perinde est: quin per eam effectus sit bis actus, ac productus: similiter ergo geminari nequit, aut multiplicari, quin entitas effectus eandem multiplicitatem, ac geminationem subeat.

12.

Respondeo negata sequela, quoad posteriorem eius partem. Ad primam probationem contrariam dicendum est, voculam illam, *seorsim*,

qua tota nititur arguere multiplicitatem, & geminationem in eo solo supra quod appellat. At cum dicitur, effectum procedere posse adæquate in eodem instanti reali, & habere posse totum suum esse ab vna causa adæquata seorsim, eiusmodi particula, *seorsim*, appellat non supra entitatem, aut esse effectus, sed supra eius causas adæquatas, earumque causalitates: vtrarumque ergo multiplicitatem, & distinctionem arguit, non vero effectus quoad suum esse, aut entitatem. Et quidem probatio mille patitur instantias, easque meo iudicio manifestas. En vnam, & alteram: nam corpus secundum totum suum esse est seorsim in loco: rursus idem corpus secundum totum suum esse, est in alio loco seorsim. Dicant ergo aduersarij: an esse totum, quod corpus illud habet seorsim in vno loco, coniunctum cum toto esse, quod seorsim habet, in alio loco; sint duo esse? Negabunt, ne negent corpus aliquod posse etiam diuinitus poni in duobus locis circumscriptiue: negandum ergo ipsis est pari iure, quod in probatione prima inferunt. Præterea Petrus secundum totum suum esse cognoscitur seorsim à Gabriele Angelo: deinde idem secundum totum suum esse cognoscitur etiam à Michaelē seorsim: an obsecro ob id Petrus erit non vnus, sed multiplex, geminumque sortietur esse adæquatum?

13

Ad secundam probationem contrariam dicendum est, eius maiorem esse falsam: causæ namque adæquate in actu primo sunt aptæ ad producendos infinitos effectus, nullique distinctè præ alio illigantur: quis tamen ausus, eam amplitudinem actionibus adæquatis tribuere? Quod si sensus propositionis illius maioris tantum sit actiones adæquatas id præstare in actu secundo, quod causæ in actu primo possunt præstare per ipsas, earumque ministerio: fatemur hac moderatione adhibita admittebam esse maiorem: ceterum, negamus, causas adæquatas per actiones adæquatas ad eundem terminatas effectū plures effectus posse producere: vnde nec ipsæ actiones id poterant in actu secundo. Quid? quod hæc probatio instantiam etiam patitur manifestam: siquidem causæ adæquate possunt successiue duos effectus adæquatos producere: & tamen actiones adæquate, quarum vna in primo instanti producat effectum totum, ac totaliter; & alia similiter eum efficiat in sequenti nequaquam possunt successiue producere duos effectus, sed vnum indiuisibilem, eum scilicet, quem essentialiter respiciunt.

14

Ad tertiam probationem dicendum est in primis, ea non adeò manifestè concludi esse actum, seu productum geminari debere, si geminetur actio: quando namque dicitur, res bis produci, posset quis dicere particulam, *bis*, non appellare supra concretum producti, vt tale: eo quod non appeller supra effectum, quem eiusmodi concretum in recto importat, sed supra productionem in abstracto: quasi sensus sit, eandem rem bina productione effici. Et quidem idem duplici actione productum raro, aut nunquam dici solet duplex productum, duove producta: quemadmodum, si duplex albedo in subiecto ponatur, sæpè non duo alba, sed vnum album dici solet. Sed esto antecedens illius tertie probationis

bationis sit verum, quid inde? idcirco enim multiplicatur in effectu esse actum, seu productum ad productionis multipliciter: quia productio identificatur cum ea denominatione producti, inaeque exprimitur, nec implicite tantum delitescit: atqui cum entitate effectus nullam habet identitatem realem, & implicitam, multoque minus explicitam: non est ergo, cur entitas effectus geminari debeat ad illius distinctionem, & geminationem. Addo, tertiam hanc probationem eadem infringi posse instantia, qua secunda paulo superius labefactata, ut intuenti constabit.

15. Tertiò arguunt alij: si Petrus v. g. & Paulus producerent adaequatè eundem effectum, eius dominium esset penes utrumque, idque integrè, & insolidum: consequens est absurdum, & impossibile: ergo & illud ex quo sequitur. Verùm in primis cur saltem duo ignes non possunt adaequatè efficere calorem: nec enim sequitur utrumque habiturum dominium illius adaequatum, cum sint ambo ut rationis expertes, sic omnis dominij incapaces. Secundo cur saltem vnus eorum hominum Petrus v. g. solus non possit effectum duplici actione adaequata producere? tum enim non multiplicata persona rationali dominium effectus euadere non poterit multiplex. Tertiò quid est, quapropter duo etiam homines nequeant esse causa adaequata eiusdem effectus, dummodo sint non liberi, sed vnus domini serui, ac mancipia? Nec enim ob id fiet, ut ambo sint domini insolidum effectus producti: seruus enim quod acquirit, aut facit, non sibi id, sed domino suo lucratur. Quartò tandem cum dominium rei sit eius proprietas quaedam, & perinde sit, quem esse dominum rei, atque hanc esse eius propriam: sanè dominium sonat exclusionem quandam in suo conceptu quidditatiuo, & essentiali: proinde non est mirum, quod ut sit adaequatum, & insolidum, oriri non possit ex actione adaequata quacunque, sed tantum ex negatiue tali, eiusque rationis, quae producat effectum sola, & sine alia. At tametsi duae causae adaequatae concurrant ad eundem effectum, non propterea geminae actiones erunt adaequatae negatiue: siue, quod eodem redit, neutra earum erit vnica, aut sola: non est ergo quapropter ex ambabus duo resultent in causis etiam rationalibus dominia adaequata, & insolidum.

16. Quartò arguunt alij, & quidem satis ingeniose, in huncmodum. Supponatur, luminosum A non habere virtutem, nisi ad lucem ut duo; eademque; & non maiori virtute illuminatiua esse prae ditum, luminosum B. Aut ergo possunt ambo adaequatè producere vnā, eandemque lucem ut duo, aut non possunt? Si secundum, dicatur, sanè ut respectu talis effectus, sic nec respectu alterius vilius poterunt dari duae causae adaequatae. Sin autem dicatur primum, profectò haud aegre poterit falsitatis conuinci: nam si ambo illa luminosa producerent adaequatè lucem ut duo, exhauriretur vtriusque virtus, & non exhauriretur. Consequens repugnat: ergo & id vnde sequitur. Fore, ut exhauriretur vtriusque virtus, perspicuum est: siquidem eorum quodlibet produceret totum suum effectum, nec partialiter tantum, sed totaliter, & quanto potest conamine, & efficacitate: hoc autem quid est, quam amborum virtutem exhauriri, totamque

impendi, & exerceeri, nihilque illius otiosum remanere? Futurum etiam, ut non exhauriretur virtus vtriusque, non minus esse videtur in aperto: siquidem eiusmodi luminosa A scilicet, & B possunt producere quatuor gradus lucis: tam ergo certum est, ea posse plus aliquid producere, quam lucem ut duo, ac exploratum est, lucem ut quatuor, siue quatuor lucis gradus plus, maiusque quidpiam esse, quam lucem ut duo: cum ergo plus possint producere, ut dictum est, quam lucem ut duo; certè hanc adaequatè producendo, eorum virtus nequaquam exhauriretur.

17. Sed in primis id displicet in hoc argumento, quod per illud probetur, non posse etiam diuinitus duas formas substantiales simul recipi in eadem materia, contra quam ipsimet arguentes sentiunt. Sequela probatur: quia alioqui virtus informatiua vtriusque formae exhauriretur, & non exhauriretur. Quod exhauriretur, patet; quoniam quaelibet earum formarum informaret materiam totalem, ac sibi adaequatam, nec quomodocumque, sed adaequatè, ac totum suum effectum formalem ei communicando. Quod etiam non exhauriretur, iuxta aduersariorum discursum, videtur non minus manifestum, quia possent illae formae informare duas materias totales, quas constat esse plures, quam vnā solam materiam: si ergo vnā solam ambae infirmarent, certè earum virtus informatiua non exhauriretur. Deinde, ut expendenti constabit, eodem aduersariorum argumento efficeretur, nec duo corpora posse esse in eodem loco, ne scilicet vtriusque corporis virtus locum occupandi exhauriretur, & non exhauriretur; nec è contrario duo loca adaequata recipere posse idem corpus, ne scilicet vtriusque loci virtus receptiua corporum simul exhauriretur, & maneret in exhausta.

18. Absolutè respondeo, fore ut præcisè exhauriretur virtus vtriusque luminosi, de quibus supra. Ad rationem autem oppositam, qua probatur, fore ut etiam non exhauriretur, dicendum est, non terminos secundum se, sed eorum actiones productiuas totales, siue adaequatas exhaurire virtutem causarum quarumvis: vnde lux ut quatuor producta per duas actiones adaequatas, quarum altera terminaretur ad duos gradus lucis, & alia ad alios duos; non est maioris momenti, nec plus aliquid in ordine ad exhauriendam virtutem vtriusque luminosi, quorum meminimus, quam lux ut duo bis ab iis adaequatè producta: cum vtriusque actiones adaequatae sint totidem, & nec plures, nec pauciores. Falsum ergo est, quod non exhauriretur vtriusque luminosi virtus, dum ad lucē ut duo adaequatè concurrerent. Sic, quia iuxta disputata superius non materiae secundum se, sed earum informationes exhauriunt virtutem informationem causae formalis; sit certè, vnā materiam bis adaequatè informatam, dupliciue forma effectam æquiuale re duabus materiis, per duas itidem formas semel informatas; ac proinde amborum formarum virtutem præcisè exhaustum iri, casu quo in eadem materia reciperentur.

19. Contra secundam assertionem communiter oppositi consuevit: Duo ignes v. g. eidem passo sufficienter applicari possunt: at eo ipso, quod ita applicentur, non poterit non alteruter formam ignis in eo totaliter producere: ergo idem effectus à duabus causis totaliter, & adaequatè prodire potest. Maior contra Caietanum, 1. p. quæst. 57.

quaest. 57. art. ... suadetur : quia si globus ligni in medium ignem proiciatur ; punctum medium globi , siue eius centrum sicut aequaliter à tota eius peripheria , siue circumferentia distat : ita etiam à diuersis partibus ignis , quibus ea peripheria vndique circumfusa est , aequaliter distat : ergo etiam diuersae partes ignis ab eo aequaliter distant : ac proinde aut omnes , aut nullae ad illud comburendum sufficienter approximatae , & applicatae sunt. Minor probatur : quia causa necessaria sufficienter applicata operatur quantum potest : cum ergo ad formam ignis in passo proximè applicato totaliter producendam duo ignes sufficienter applicati , & approximati sint , non poterunt non totaliter eam producere : siquidem causa necessariae sunt.

20. Respondeo : duo ignes eidem passo sufficienter applicati , siue approximati esse possunt ad formam ignis in eo totaliter producendam : ceterum ob id formam ignis in eo totaliter non producent : quia ut causa aliqua necessaria operetur prater virtutem approximata , seu localiter applicatam opus est , ut ea virtus aliunde impedita non sit : in eo autem euentu virtus vtriusque ignis ad formam ignis totaliter producendam ex alterius aequae potentis , & approximati consortio impeditur : eo quod vterque in alterius consortio concursum suum minuere , & temperare postulet ob rationes , quas supra expendimus. Quod si non de applicatione locali , sed de applicatione absolute sumpta , & prout cum expeditione ad operandum coincidit , sermo sit : sanè in eo euentu duo illi ignes sufficienter applicati non sunt ad formam ignis totaliter producendam.

21. Tertiae assertioni nostrae refragantur P. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 5. sect. 4. Balthasar Tellez disput. 29. Phys. sect. 3. alique complures. Pro quorum sententia aduersus nostram tertio loco assertam obiicies primò. Potest quis complacens in sanitate vno actu , & altero in recreatione ita moueri ex praedictis complacentiis ad deambulationem vtriusque fini vtilem , ut deficiente quauis earum , altera ad voluntatem deambulandi vi eiusdem directionis actualis , qua antea in actu secundo moueret : igitur vtraque complacentia , vterque finis in actu secundo ad voluntatem efficacem deambulandi adequatè dirigat : motio enim , siue directio actualis , quae se sola sine alia maneret , adequata , & totalis est. Obiicies secundo : directio actualis est necessitas quaedam , qua complacentia mouens pro posteriori necessitat ad actum , respectu cuius motiua est : at non est , cur duplicis finis duplex complacentia ad voluntatem efficacem alicuius medij duplicem necessitatem adequatam non inducat : ergo non est , cur duplici directione actuali adequata ad eam non dirigat. Minor perspicua est : quia duplex complacentia duplicis finis naturaliter inferre potest duplex imperium efficax medij : quorum alterum velit electionem medij propter vnum finem intrinsecè , & alterum propter alium : at vtrumlibet imperium ad electionem medij necessitat. Obiicies denique tertio : licet natura superflua abhorreat , voluntas tamen pro innata libertate superflua atque otiosa plerumque amat : cur ergo ex cognitione , & complacentia duplicis finis per duas directiones totales , quantumuis superfluas , ad electionem alicuius medij moueri nequeat ?

22. Hae tamen obiectiones facile possunt repelli. Ad primum dicendum est , eius antecedens esse falsum , qua parte adstruit directionem in actu secundo futuram esse eandem casu , quo maneret vnus tantum finis complacentia sine complacentia in altero : ambae namque complacentiae attemperant suum concursum directiuum , quoties simul insunt voluntati , eamque ad electionem medij impellunt : at cum postea vna sola mouet ad eligendum medium ob alterius complacentiae defectum : tunc certe quae sub remanet , concursus directiuum , non attemperatum , siue dimidiatum confert , sed plenum , integrumque : qui ergo fieri potest , ut concursus directiuus in vtroque casu sit idem , & non potius diuersus : nisi verò inter totum , dimidiumque totius nihil interfit. Ad secundam obiectionem contrariam dicendum est , fieri quidem posse , & tolerare , ut ad eandem electionem bifariam necessitate duplex finis : ceterum non in hac necessitate , ut supponit argumentum , sed in modo quodam directiuo ab omni actu voluntatis suapte natura distincto consistere causalitatem finalem directionemve finis propriam : non est ergo , cur haec possit esse duplex adequata comparatione eiusdem effectus à duobus finibus proficiscentis. Ad tertiam obiectionem contrariam dicendum est , eo , si quid valeretur , aut nihil , aut id certe probatum iri : duas actiones effectiuas adequatas respectu eiusdem effectus naturaliter dari posse : voluntas enim nostra respectu amoris liberi non se habet mere passiue , sed actiue , vel effectiue : quamuis ergo huiusmodi effectio adequata non nisi superflua , & otiose ab ea geminari possit respectu eiusdem amoris liberi : at cum in eius arbitrio , & libertate positum sit , tale efficere amorem ; non erit , cur in eo efficiendo superfluere , & otiosi non possit . cum pro innata libertate otiosa , & superflua possit amare : consequens autem est absurdum : ergo & id , ex quo sequitur. Porro absolute respondendum , uti voluntas nostra potest impossibilia amare , in eaque saltem inefficaciter affici , & ferri , quin impossibilia possit efficere , aut per actiones impossibiles vere , ac realiter operari , aut producere quidpiam etiam possibile : ita etiam nihil obstare posse , quominus superflua , & otiosa possit amare ; quin tamen exinde possit argui , quod per actiones adequatas superfluas , otiosasque operari possit eundem effectum , siue tales actiones sint finales , siue effectiuae . Atque haec haecenus.

TRACTATUS VII.

De causa efficienti creaturae.

CAPVT PRIMVM.

Qua virtute causa efficiens operetur immediate ?



EXPLICATIS iis , quae quatuor causarum generibus communia sunt , ad causam efficientem ceteris nobiliorem progredior , quae cum creata , & increata sit ; ab ea ,